



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

Parisiis, 1644

B. Gregorivs In Epistola Ad Joannem episcopum CP. de quinta Synodo haec
habet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15324

ANNO
CHRISTI
555
Considerate igitur, fratres mei, & dum Deo adhuc expe-
ctante, omni incerto vitæ fine permittimur, vigilanti cu-
ra perpendite, quia illam scissionem sanctæ ecclesiæ pro
Theodoro facere fraternitas vestra non metuat, quam pro
se vel profiteri Paulus expauit. Cur non ad memoriam
pro vnitate seruanda beati Augustini dictum reducitur?
qui dum de vnico baptismate loqueretur, idcirco Cy-
prianum martyrem, qui de iterando baptismate scripsè-
rat, defunctum perhibuit, quia licet prauum quid senserit,
nunquam tamen se a totius ecclesiæ communione sus-
pendit. Sic igitur permanere in sanctitate * seruante con-
stat, fratres dilectissimi, quia dum vos ab ecclesiæ vnitate
disiungitis, omne virtutis meritum perdidistis etiam si re-
cta teneatis. scriptum quippe est: *Pacem sequimini cum omni- Hebr.12.
bus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Dominum.*

August.lib.
de vnico
baptis.

Multa locuti sumus, quia & ad multa ratiocinando re-
spondimus. Et cum testimonia ex patrum dictis innume-
ra suppeterent, perpaucā posuimus: videlicet cupientes
vt scripta nostra in causis singulis narratio breuiata succin-
geret, ne fortasse tedium legenti generarent. Vnum ta-
men quod iam superius diximus, non tædet si etiam cre-
bro replicemus: *Quia fidem sanctæ Calchedonensis Sy-
nodi illibatam per omnia Deo auctore seruamus, eiusque
definitiones, sicut Ephesinæ primæ, Constantinopolita-
nae, ac Nicænæ Synodi irretractabiles nunc vsque tenui-
mus, & vel morte proposita irretractabiles custodimus.*
*Vestra igitur dilectio communionem fidelium orthodoxorum fratrum non fugiat, ne presentis vocis nostræ adiutorium si audire neglexerit, contra se in testimonium vertat. Nos autem ad Dominum post verba recurrimus, eumque quantum possumus fletibus exoramus, vt hoc
quod vobis ad sequendam concordiam a nobis dicitur, ipse in vestris mentibus manu intimæ inspirationis ope-
retur.*

xxiv.

B. GREGORIVS IN EPISTOLA AD
Joannem episcopum CP. de quinta Synodo
hæc habet.

PRÆTEREA, quia corde creditur ad institiam, ore autem con- Lib.1.ep.24
fessio fit ad salutem: sicut sancti euangelii quatuor libros, Rom.10.
Concil.Tom.12.

Pp

sic quatuor Concilia suscipere & venerari me fateor: Nicænum scilicet, in quo peruersum Arii dogma destruitur: Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomii & Macedonii error conuincitur: Ephesinum etiam primum, in quo Nestorii impietas iudicatur: Calchedonense vero, in quo Eutychis, Diocorique prauitas reprobatur, tota deuotione complector, integerrima approbatione custodio: quia in his velut in quadrato lapis, sanctæ fidei structura consurgit, & cuiuslibet vita atque actionis norma consistit. Quisquis eorum solidatem non tenet, etiam si lapis esse cernitur, tamen extra ædificium iacet. Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo epistola quæ Ibæ dicitur, erroris plena, reprobatur: Et Theodorus personam mediatoris Dei & hominum in duabus subsistentiis separans, ad impietatis perfidiam cecidisse conuincitur. Scripta quoque Theodoriti, per quæ beati Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementiae prolata refutantur. Cunctas vero, quas præfata veneranda Concilia personas respuunt, respo: quas venerantur, amplector: quia dum vniuersali sunt consensu constituta, se & non illa destruit, quisquis præsumit aut soluere quos ligant, aut religare quos soluunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit. Quisquis vero prædictarum Synodorum fidem tenet, pax ei sit a Deo Patre per Iesum Christum Filium eius.

EIVS DEM EPISTOLA AD EPISCOPOS
Hiberniæ de causâ atrium capitulorum.

Lib. 1. ep. 36 **S**CRIPTA vestra summa cum gratulatione suscepi: sed erit in me vberior valde lætitia, si mihi de vestra contigerit reuersione gaudere. Prima itaque epistolæ vestræ frons grauem vos pati persecutionem innotuit. Quæ quidem persecutio dum non rationabiliter sustinetur, nequam proficit ad salutem. Nam nulli fas est retributionem præmiorum expectare * proculpa. Debetis enim *per scire, sicut beatus Cyprianus ait, quia martyrem non facit poena, sed causa. Dum igitur ita sit, incongruum nimis, est de ea vos, quam dicitis, persecutione gloriari, per quam vos constat ad æterna præmia minime prouehi. Reducat ergo caritatem vestram tamdem integritas fidei ad